

plantam vivam. An posses mihi dicere unde ejus semina mihi exorarem.

Fruticosa floribus carens: *Azalea lapponica*.

Coluteam herbaceam habeo in horto, dum semina maturavit, ea mittam ut seras. interdum apud nos per biennium durat. ejus legumina Tuis duplo majora sunt. videtur Tua diversae speciei a mea esse. *Symphytum tuberosum*, erit vera differentia gratissimum, ejus semina forte facilis mittas, cum apud vos sit frequens.

Crantzius me tutius neminem potest lacescere, cum sciat me non altercaturum. Vidi duos ejus primos fasciculos, sed profecto ab eo nil didici. Ridebam, dum legi, quo studio *Crataegum Chamaemespilum* tuum descripserat, ejus causa alpes laboriose adscenderat, et tamen ne gry observavit plura quam Tu ipse habeas in *Flor. wind.* 244, nec tamen Tui mentionem faciebat, quem non potuit, uti popularis recentissimus et classicus author, ignorare. Non potui multa praestare in brevi et caduca mea vita. Voluisse sat fuit. Studui evitare errores multos antecessorum; sed uti homo humani multoties passus. Felix ille qui potest absque errore incedere per latebras sylvae naturae.

*Pimpinella pumila* Tua, si crescat ubi nunc habitas, quaeso inquiras in planta antequam flores pandat, numne involucrum parziale adsit, ego certe ejusmodi specimen posideo, sed et simul inquire numne in hac specie dentur separata individua mascula?

*Gnaphalium alpinum* ex alpibus Lapponicis, cujus marem numquam reperire potui, etiam in vestris alpibus crescit, optarem scire num umquam marem reperiisti? Omnes quas ego vidi plantas femineae fuere.

Vale et vive diu felix.

Upsaliae 1767, d. 1. Julii.

*Phalaena Graminis* hoc vere omne mihi *Foenum* abstulit, damno plus 1000 *Imperialium*.